



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis
Imperialis Aviae**

Mallinckrodt, Bernhard von

Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Maximilianvs II Imp.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11835

MAXIMILIANVS II Imp.

*Ioannes
Huldericus
Zasius.*

IOANNES Vdalricus Zasius apud Maximilianum II iam tunc à Cancellis fuisse videtur, quo tempore is viuente patre Regis Romani titulo decoratus, necdum legitimo regimini se immiscuerat. Atque hanc causam fuisse non dubito, quod amoto tantisper Webero, Vice-Cancellarius Imperij constitutus sit, cum imperare herus suus cœpit. Fuit hic Magni illius Zasij Constantiensis, qui primarijs Italiae Galliæque Iuris Cæfarei restauratoribus & interpretibus per doctissima scripta sua accenseti meruit, Professoris Friburgi Brisgoæ filius, cuius etiam postuma quadam euulgauit. Annū mortis Mel-

** communis
currunt ve-
stibus hic est.
cūm ille
periret.*

chior Adamus non adnotat, contentus dixisse, casus Seldiani consortium; * licet tunc quidem præsentem necem euaserit, acceleratae mortis eius causam extitisse. Namque annos haud ita multos superuixit. Huic deinde eundem Weberum, qui sub Ferdinando hanc stationem obiuerat, successisse certum est, qui an. 1572, 1573 & 1575 subscriptis Maximiliani Diplomata, quæ vidi & legi.

*VVolfgan-
gus Haller.*

Secretarium status, siue Imperialium expeditionum sub hoc & duobus præcedentibus Imperatoribus, eius socero patreque, egit VVolfgangus Haller vir præclarus, in quo candorem, sinceritatem, fidem atque constantiam commendat, ac præterea virtute, eruditione & pietate clarissimum vocat Simon Schardius IC Cameræ Imperialis Assessor, qui ipsi Epistolas Petri de Vineis an. 1566 editas inscripsit.

RUDOLPHVS II Imp.

*Sigism.
Vieheuser.*

PRIMUS, qui functus sit sub Rudolpho Vice-Cancellariatus officio, Sigismundus Vieheuser hactenus à me repertus est; quem Kirchnerus refert lib. 4, cap. 3. Extat Priuilegium Rudolphi Imp. datum subditis Ducis Iulliacensis, &c. de non euocando an. 1580, hac subscriptione: *Vice ac' nomine Reuerendissimi Domini, D. Danielis Archi-Episcopi, Archi-Cancellarij & Electoris Moguntini, Vt. S. Vieheuser. Ad Mandatum S. Cæl. Maiest. proprium. A. Erstenberger.*

*Iacobus
Curtius à
Senften-
bau. Ioan.
VVolfgan-
gus Frei-
monius.*

Iacobus Curtius à Senftenau, Vieheuseri, ni fallor, Successor fuit. Hunc Bucholtzerus in *Indice Chronolog.* celebrat omnium studiorum, in primis vero Mathematicorum, amatorem fuisse. Obiit mense Maio an. 1594, cum se ad iter Comitiorum Ratisbonensem præpararet. Ioan. VVolfgangus Freimonius in Oberhausen Ingolstadiensis, an. 1546, 14 Martij,

(inci-